



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**M. Adami, Scriptoris Vetvsti, Historia Ecclesiastica,  
Religionis Propagatae Gesta, Ex Hammabvrgensi  
Potissimum Atque Bremensi Ecclesiis, Per Vicina  
Septentrionis Regna**

**Adamus <Bremensis>**

**Helmetadi[i], 1670**

Widmung

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11096**



MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, CON-  
SULTISSIMIS, AMPLISSIMIS-  
QUE VIRIS,  
DOMINIS  
CONSULIBUS,  
SYNDICIS,  
AC  
SENATORIBUS,  
ILLVSTRIS AC CELEBERRIMÆ  
REIPUBLICÆ  
HAMBURGENSIS,  
DOMINIS AC FAVORIBVS SVIS  
MAXIME COLENDIS,  
JOACHIMVS JOH. MADERVS  
SALVTEM ATQUE OMNIGENAM  
PROSPERITATEM,

Typus sculpsit Henricus Maderus  
Anno 1713

DEDICATIO.

**T**ANTUS est hodie, MAGNIFICI NOBILISSIMI-  
 QUE VIRI, inclytæ Urbis Vestræ splendor,  
 tanta gloria, ut optimo Ipsi tribuatur jure,  
 quod de Athenis, altero illo quondam  
 Græciæ ocello, Veronensis scripsit Plinius:

*Libera hæc est civitas, nec indiga ullius præconii amplius, tan-  
 ta claritas superfluit.* Sive enim vetustatem Illius, ac  
 Conditorum illustre nomen, sive præsentem Ejus ma-  
 gnitudinem & Martia respicias propugnacula; vel po-  
 puli frequentiam, merciumque varietatem; aut ædifi-  
 ciorum magnificentiam, atque divitiarum & annonæ  
 copiam: adeo non inter Saxonæ solum, sed universæ  
 etiam Germaniæ, ne dicam Europæ, præfulget urbes,  
 ut, si non in multis vincat plerasque palmam tamen  
 ipsis faciat ambiguum. Certe vel solius navigationis  
 in remotissimas quasque terras, ac negociationis in iis-  
 dem felicissimæ, beneficio, tantum sibi peperit existi-  
 mationis, ut Ausonianum illud Narbonæ Encomion in  
 Vestram hanc longe jam quadret rectius:

*Te maris Eoi merces & Iberica ditant:*

*Æquora; te classes Libyci, Siculique profundi,*

*Et quicquid vario, per flumina, per freta, cursu*

*Advehitur, toto tibi navigat orbe κατὰ πλάγας.*

Præsertim cum vix ullus quidem terræ cultioris angu-  
 lus, aut maris navigabilis reperiatursinus, quem non

):( a

cele-

DEDICATIO.

celeberrimi nominis Illius fama impleverit. Quanquam vero hæc magna satis, atque ita magna, ut unumquemque vel audientem, vel legentem, vel oculis animove contemplantem, rapere in stuporem possint: tantum tamen abest, ut, quicquid ex ejusmodi ornamentis consequitur gloriæ, illius proprium censeatur; ut istud potius nunc situs commoditati, nunc fortunæ, illi rerum humanarum dominæ, modo huic, modo alii benignæ, quis putet adscribendum. Hæc demum Ejus propria laus est, hoc præcipuum decus, quod ne ipsa quidem Roma vel Constantinopolis, *regina quondam hujus pulcherrimæ mundi*, Ipsi valent præripere: propter quod excelsum in gentibus nomen Ejus, non Historicorum tantum libris, ad exigui temporis memoriam, sed cælo atque æternitati est insertum: quod ex ea, velut ex Equo Trojano, prodire olim innumeri, non Græciæ Principes ad Ilium invadendum, *vino somnoq; sepultum*; verum ipsius Dei ministri, Jesu Domini nostri martyres, *justitiæ lorica, fidei scuto, galea salutis, & gladio spiritus armati*, insonantes Aquilonari orbi, vitiorum somno immerso, illud Apostoli: *Excitare qui dormis, & surge à mortuis, & illucescet tibi Christus!* Quos nulla unquam vis, nullæ minæ, nulli terrores, ac dirissima quæque supplicia, ab illius gentibus immanissimis metuenda; *Ungula, carnifices, tortores, flagra, catena;* vel minimum potuerunt de suo cursu ac studio dimovere, us-

DEDICATIO.

re, usque quo propagaretur per eos Domini nomen ad  
 fines orbis terræ. Incomparabiliter siquidem pulchrior est  
 veritas Christianorum, quam Helena Græcorum: ut quam  
 optime alicubi B. Augustinus; ut multo fortius nostri mar-  
 tyres adversus hanc Sodomam, quam pro illa isti Heroes adver-  
 sus Trojam dimicare necesse habuerint. Quapropter hoc  
 affecuta etiam eo ipso est, ut fecundissima gentium mater,  
 ut omnium septentrionalium nationum audiat Metropolis  
 ibi solummodo ponens Evangelizandi silentium, ubi mundus ha-  
 bet terminum. Per quam ferocissimus & Danorum, & Nord-  
 manorum, & Sveonum populus, ut Adami utar verbis, qui,  
 juxta B. Gregorium, nihil aliud scivit, nisi barbarum frendere,  
 jamdudum novit in Dei laudibus Alleluja resonare; ut à solis  
 ortu & occasu, ab Aquilone & mari, laudabile sit nomen Do-  
 mini: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus  
 in gloria est Dei Patris, cum Patre & Spiritu S. vivens &  
 regnans per omnia secula seculorum. O terque quaterque  
 felicem civitatem, ac feliciorē longe, quam felicis-  
 sima fieret, quæ tanto gaudet elogio!

Quod non imber edax, non Aquilo impotens

Posit diruere, aut innumerabilis

Annorum series, & fuga temporum.

Ipsos illos beatissimos martyres, qui ex tot afflictionibus  
 vixerunt, quibus oppressa Ea atque exhausta aliquoties  
 in primis suis incunabulis est, & lavant stolas suas, ac  
 dealbant in sanguine Agni; quæ eximia illorum, adhuc in

DEDICATIO.

militante Ecclesia hinc constitutorum, erga Eandem fuit  
 charitas; videre mihi videor pro Illius salute atque inco-  
 lumitate, tot gravissimis periculis inter has mundi pro-  
 cellas etiamnum exposita, preces indefinenter ad Deum  
 fundere, tanto dubio procul efficaciores, quanto &  
 mente nunc puriores, & propinquiores eidem sunt,  
*stantes ante thronum ejus, ac servientes ei die ac nocte in tem-  
 plo ejus: ut mirum nequaquam sit, quod jam adeo gloria  
 & honore multi modis coronetur, quæque cum lacrymis se-  
 minavit quondam, cum exultatione metat.* Cæterum ne  
 hic modum Epistolæ excedam vel potius laudatissimam  
 Urbem Vestram, divino dono auream, meis obolis  
 ditare velle videar: sisto pro me Magistrum A D A.  
 M U M, Scriptorum quidem, quotquot unquam res Il-  
 lius gestas Latinis literis illustrare, omnium primum;  
 eoque magis αἰγιόπιος, quod & summa cura atque re-  
 ligione, prout ex proœmio ipsius patet, in Historia  
 hac sua concinnanda usus est, & iis temporibus vixit,  
 quibus ille ab Imperatore Ludovico vere Pio, ejusque  
 successoribus ac Pontificibus Romanis, in Eam devolu-  
 tus ac stabilitus M E T R O P O L E O S H O N O R  
 consuetudoque mittendi in Boreales regiones Docto-  
 res atque Episcopos, in Illa, atque inclyta B R E M A,  
 Filia Ipsius perdilecta, præcipue viguit: id quod ea de  
 re in perpetuam Earum gloriam, plenis, quod ajunt,  
 buccis uberrime prædicavit. Quem proinde Vobis,  
 Magni-

**D E D I C A T I O.**

*Magnifici, Consultissimi, Amplissimi que Viri, quod sub nul-  
lius rectius, quam Vestris nobilissimis nominibus, emit-  
ti queat, ea, qua fas est, reverentia DO, DICO,  
CONSEGRO: maximo rogans opere, ut placida  
ipsum fronte recipere, meque serios inter præstantis-  
simarum virtutum Vestrarum cultores censere bene-  
vole velitis. Deum autem ter maximum humili in-  
voco prece, ut Vos, tantæ Urbis moderatores non  
minus felicissimos, quam prudentissimos, salvos atque  
incolumes quam diutissime servet, consiliisque Vestris  
ex alto benedicat, quo ILLVSTRE HAMMABVR-  
GVM æternum sit maneatque ἀμάρξ & πύργος, invi-  
ctatarris à facie inimicorum: atque magis magisque læ-  
tioribus gaudens successibus, novis indies clarius ex-  
splendescat incrementis. Dabam Scheningæ, Kal.  
Januariis, ANNO, quem Magnificentis Amplitudinibusq.  
Vestris quam maxime faustum fortunatumque precor,*

**CIO IO C LXX,**

**CON-**